401795
II 1870/71
Kat. komp.
Programm Ostrowo

PROGRAMM

des

Königlichen Katholischen Gymnasiums zu Ostrowo

für das Schuljahr 1870—71.

INHALT: 1. Explicantur loci aliquot, qui in Aeschyli Choephoris leguntur, vom Oberlehrer Dr. Zwolski.
2. Schulnachrichten vom Director.

PROGRAM

Królewskiego Katolickiego Gimnazyum w Ostrowie

na rok szkólny 1870—71.

TREŚĆ: 1. Nauczyciela wyższego Dra. Zwolskiego rozprawa: Explicantur loci aliquot, qui in Aeschyli Choephoris leguntur.
2. Wiadomości szkólne p. Dyrektora.


OSTROWO.
Buchdruckerei von Th. Hoffmann.
1871.

OSTRÓW.
Czcionkami T. Hoffmanna.
1871.

II 1870/71


401795

II 1870/71



Explicantur loci aliquot,

qui in Aeschyli Choephoris leguntur.



Bibl. Jag.
1957 Cz D 407

Medium nobilissimae Trilogiae, quae Orestia dicitur, locum tenet fabula Choephororum nomine inscripta. In qua quum Orestis tantae sunt partes, ut nisi ingenio eius et moribus perspectis, nec tota tragoedia, nec singulae eius partes intelligi queant, antequam ad locos aliquot difficiliores Chori cantici vs. 578 sqq. accedamus explicandos, pauca de ingenio et indole Orestis Aeschyli videntur praemonenda. Sed quum ea fabula, in qua Orestes primas tenet partes, arctissime cum Agamemnone et Eumenidibus coniuncta sit, vix poterit recte de Orestis indole et agendi ratione iudicari, nisi paucis exposuerimus, qualia sint illarum fabularum argumenta, et qui vinculo ea inter se cohaereant. Ac primum quidem in Agamemnone exhibuit Aeschylus regem, quo quum consilio atque prudentia excelleret, ac bello contra Troianos feliciter ad finem perducto ad summum gloriae, opum, potentiaeque fastigium pervenisset, domum redux subito ab uxore Clytaemnestra et Aegistho interficitur. Nec deerant causae, quibus illi tantum scelus excusare poterant, verum tamen eo omne ius ac fas ita violaverant, ut de iustitia deorum fuisset dubitandum, si inultum crimen mansisset. Non potuit igitur Aeschylus, poeta admodum pius, Agamemnoni fabulae finem ante imponere, quam vindicem sat severum esse venturum significasset (cfr. vs. 1280 sq. et vs. 1646 sqq.). Qui versus tanquam vinculum efficiunt, quo Agamemnon et Choephori fabulae colligatae sunt. In Choephoris, cuius in scenam procedit sceleris ultor, Orestes et Apollinis mandato obediens, matrem Aegisthumque, cui illa nupserat, interimit. Sed facinore patrato mox furiarum chorum in se irruentem sentit, quarum supplicium ut effugiat, in templum Apollinis Delphici se confert. Nam scelus ulciscendo ipse scelus commisit multo majus, eoque dearum ita excitavit iram, ut eum vel in Apollinis templum sequi non dubitarent. Itaque Eumenidum fabulae initio Orestem ab illis cinctum maximeque earum ira hanc fabulam arctissime cum Choephoris connexam videmus. In Eumenidibus de placandis deabus lustrandoque Oreste agitur, quod postremo nisi Minerva interveniente non efficitur.

Neminem fore putamus, qui, si quae modo paucis exposuimus, recte consideraverit, Orestem totius Trilogiae tanquam centrum esse, eamque iure *Ὀρεστείας* nomine inscribi neget. Operae igitur pretium nos facturos esse opinamur, si Orestis ingenium moresque paucis circumspicimus.

Jam vero primo fere adspectu intelligitur Orestem, quamvis horrendum matricidii scelus conceperit, tamen pietate morumque integritate haudquaquam carere. Diu enim cunctatur, priusquam ad patrem ulciscendum accedit: ne illa quidem eum excitant, quae et ipse vs. 850 et vs. 900:

τεκοῦσα γάρ μ' ἔῤῥιψας ἐς τὸ δυστυχές,

et Electra soror vs. 133:

κἀγὼ μὲν ἀντίδουλος· ἐκ δὲ χρημάτων
φεύγων Ὀρέστης ἐστίν, οἱ δ' ὑπερκόπως
ἐν τοῖσι σοῖς πόνοισι χλίουσιν μέγα,

et vs. 440 sqq:

ἐγὼ δ' ἀπεστάτουν
ἄτιμος, οὐδὲν ἀξία.
μυχοῦ δ' ἄφερκτος πολυσίνου κυνὸς δίκην
ἑτοιμότερα γέλωτος ἀνέφερον λίβη,
χέουσα πολύδακρυν γόον κεκρυμμένον,

a Clytaemnestra Aegisthoque toleraverant, neque alia flagitia ab illis commissa, cfr. vs. 135. 371 sq. 558:

ἐπειδὴ δαιμονᾷ δόμος κακοῖς,

ad solum Apollinis iussum vs. 267 — 303. et vs. 1025:

καὶ φίλτρα τόλμης τῆσδε πλειστηρίζομαι
τὸν πυθόμαντιν Λοξίαν, χρήσαντ' ἐμοί,
πράξαντι μὲν ταῦτ' ἐκτὸς αἰτίας κακῆς,
εἶναι, παρέντι δ' οὐκ ἐρῶ τὴν ζημίαν,
τόξῳ γὰρ οὔτις πημάτων προσίξεται,

cui si non obediret, fore, ut ipse gravibus morbis afficeretur. Atque tantus in eo inest amor matris, ut fere dei praeceptum neglecturus sit, quum mater ei dicit (vs. 883):

ἐπίσχες, ὦ παῖ· τόνδε δ' αἴδεσαι, τέκνον,
μαστόν, πρὸς ᾧ σὺ πολλὰ δὴ βρίζων ἅμα
οὔλοισιν ἐξήμελξας εὐτραφὲς γάλα,

nam haesitans e Pylade quaerit:

Πυλάδη, τί δράσω; μητέρ' αἰδεσθῶ κτάνειν;

et tum demum animum recipit matrisque scelera in memoriam sibi revocat, ubi ille eum his verbis exhortatus est:

ποῦ δὴ τὰ λοιπὰ Λοξίου μαντεύματα
τὰ πυθόχρηστα, πιστὰ δ' εὐορκώματα;
ἅπαντας ἐχθροὺς τῶν θεῶν ἡγοῦ πλέον.

Re autem confecta, quamquam Orestes et animi ardori et Apollinis dicto satisfecit, et hominum laudem (cfr. Hom. Odys. I, 298 sqq. III, 196 sqq. Aesch. Choeph. 1040):

> *ἀλλ' εὖ γ' ἔπραξας, μηδ' ἐπιζευχθῇς στόμα*
> *φήμαις πονηραῖς μηδ' ἐπιγλωσσῶ κακά·*
> *ἠλευθέρωσας πᾶσαν Ἀργείαν πόλιν*
> *δυοῖν δρακόντοιν εὐπετῶς τεμὼν κάρα,*

nactus est, tamen se culpa minime vacare intelligit, vs. 1034:

> *φεύγων τόδ' αἷμα κοινόν*

ac mox furias in se irruentes vs. 1045:

> *δμωαὶ γυναῖκες, αἵδε Γοργόνων δίκην*
> *φαιοχίτωνες καὶ πεπλεκτανημέναι*
> *πυκνοῖς δράκουσιν· οὐκ ἔτ' ἂν μείναιμ' ἐγώ.*

et vs. 1050:

> *σαφῶς γὰρ αἵδε μητρὸς ἔγκοτοι κύνες,*

vs. 1053:

> *ἄναξ Ἄπολλον, αἵδε πληθύουσι δή*
> *κἀξ ὀμμάτων στάζουσιν αἷμα δυσφιλές*

et vs. 1057:

> *ὑμεῖς μὲν οὐχ ὁρᾶτε τάσδ', ἐγὼ δ' ὁρῶ·*
> *ἐλαύνομαι δὲ κοὐκ ἔτ' ἂν μείναιμ' ἐγώ,*

sentit, itaque ad rei auctorem Apollinem confugit. Hinc, si ulla ex re, maxime morum eius integritatem cognoscere possumus: scivit ille, quantum scelus esset commissurus, sed quum diis magis confidendum atque obsequendum sit quam hominibus, dei iussum exsecutus est; post peractionem autem ad eundem deum rediit, cui facti defensionem demandaret. Neque Apollo Orestem lustrare furiasque placare dubitavit. Verumtamen Orestes quiete frui non potest, nisi furiae dormiunt; quae si expergefactae sunt, ne ab Apolline quidem arceri possunt. Quarum cruciatus ut Orestes effugeret, Apolline opitulante Athenas se contulit et causam suam Areopago, summo Atheniensium iudicio, diiudicandum proposuit. At ne Areopagus quidem in deorum causa certum facere iudicium audet, sed totidem suffragia furiis, quot Oresti eiusque patrono Apollini dat; quam ob rem Minerva ad Orestis partes se adiungit eumque suffragio suo absolvit. Quo suffragio potius clementiae divinae testimonium, quam iudicis sententiam exhiberi facile intelligitur, praecipue, si Eumenidum exitus consideratur. Furiae enim, quum Minerva intercedente placatae sint, et clementius quam severius cum Oreste egerint, non amplius furiae esse possunt nec volunt, sed Eumenidum nomine venerandae templum suum tenebunt, in quo propitiae erunt peccatoribus poenitente animo ipsas adeuntibus.

Quae quum ita sint, vix potest dubitari, quin Aeschylus Orestem tanquam adolescentem ingenii morumque integritate insignem, qui necessitate quadam fortunae calamitatibus sceleribusque implicatus mala quidem perfecerit, sed mentem servavit puram, ante oculos ponere voluerit; atque ea re maxime tragoedi e legibus satisfecisse nobis videtur.

Summa rerum in Choro cantico vs. 578—641 tractatarum talis est: Jam vero initio chorus Orestis consilio matrem una cum Aegistho interficiendi cognito, post illius abitum omnes terrores, quos terra, mare et coelum exhibent, commemorat, eosque in antistropha cum hominum audacia et maxime cum amoris vi, qua omnia, quae in rerum natura terribilia sunt, superantur et ad quaecunque facinora viae sternuntur, comparat. Comparationem ac praecipue extremam eius partem in secunda stropha exemplo matris (Althaeae) firmat, quae ob fratrum necem filium titione ei aequaevo cremato interemit; in antistropha vero Scyllae probat exemplo, quae monili aureo Minois capta, patri Niso capillum, a quo vita eius et salus pendebat, decidit. Quibus exemplis chorus in tertia stropha et antistropha Clytaemnestrae facinus adnumerat, quod vel crudelius ac turpius sibi videri dicit, quam caedem Lemniam. In quarta denique stropha et antistropha diem adesse significat, quo Iustitia Agamemnonis ultionem decreverit, ad quam exsequendam iamiam filium in domum paternam reduxerit.

Sententiarum nexu exposito luculenter intelligitur, carmen illud egregie et arctissime cum ipsius fabulae argumento esse coniunctum.

Primae strophae et antistrophae verba ad explicandum difficillima sunt et ab aliis aliter tractata. Longum est omnes enumerare coniecturas, quibus olim Schuetzius, Bothius, alii viri docti hunc locum tentarunt, quos recte Wellauerus misere hos versus corrupisse dicit. Stanleius verba sic legi voluit:

πλάθουσι, βλαστοῦσι καὶ πεδαίχμιοι
λαμπάδες πεδάοροι
πτηνά τε καὶ πεδοβάμονα· κἀνεμοέντων
αἰγίδων φράσαι κότον.

et vertit „nascuntur etiam mediae, inter coelum et terram, lampades excelsae, volucresque et pedestria animalia, et ventosarum procellarum iram considera.“ Stanleium secutus est Butlerus, sed pro *κἀνεμοέντων* posuit genit. gener. fem. *κἀνεμοέσσων* ob sequentem vocem *αἰγίδων* et interpretatus est „et alatarum procellarum iram considera.“ Hermannus minus quidem audacter quam Schuetzius et Bothius, nec tamen ex omni parte probabiliter in hunc modum corrigebat:

πλάθουσι, βλαστοῦσι καὶ πεδαιχμίῳ
λαμπάδες πεδάοροι,
πτᾶνα δὲ καὶ πεδοβάμονα κἀνεμόεντα
αἰγίδων φράσαι κότον,

et in opuscul. I, p. 114 dicit scribendum: *πτᾶνα δὲ καὶ πεδαβάμον' ἀπ' ἀνεμοέντων Αἰγίδων φράσαι κότον.* Bambergerus ad h. l. notat, Hermanni coniecturam *πεδαιχμίῳ* pro *πεδαίχμιοι* fortasse non esse necessariam, nam adiectivum tam bene se habere quam substantivum. Wellauerus, cuius textum etiam Dindorfius, Klausenius, Bambergerus exhibent, Stanleii scripturam retinuit, quae in omnibus manuscriptis et editionibus veteribus exstat, nisi quod pro codicum scriptura *πεδάμαροι* vocem *πεδάμεροι* textui intulit, quod Stanleius et alii receperunt. Klausenius vero *πεδάμαροι* retinuit, id a *πέδα* et *μαίρω,* unde *ἀμαρύγη, ἀμαρύσσειν, ἀμάρυγμα* originem

duxerint, derivandum esse dicens. Contra eum autem O. Muellerus rectissime in diariis Zimmermanni a. 1836 p. 34 sic disputavit: die Abweichungen des Klausenius von Wellauer's Text scheinen uns dem Sinne nicht vortheilhaft, und πεδάμαροι, welches er nach den Handschriften für πεδάμεροι festgehalten hat, würde sich als Ableitung von πέδα und μαίρειν, ἀμαρύσσειν schwer rechtfertigen lassen; wenigstens fehlen ganz alle Spuren einer Nominalbildung auf μάρος oder ἄμαρος, (denn das Klausenius angeführte ἀμάρα Wasserfläche, gehört nicht zu dieser Wurzel).

Plane aliter locum invenimus a Franzio, ceterum elegantis iudicii viro, tractatum, qui verbum βλαστοῦσι omisit et βροτοῖσι ex antecedente versu huc intulit, simulque pro vulg. πεδοβάμονα κἀνεμοέντων scripsit καὶ πεδοβάμον' ἂν ἀνεμοέντων, quam coniecturam qui probaturus sit, vix reperietur. Nam ut de audacia, qua vocem ab omnibus libris firmatam expulit, taceamus, id tantum commemorare volumus, verba πόντιαί τ' ἀγκάλαι, quum a τρέφει pendere non possint, nunc egere praedicato, quod Franzius ipse, parum sibi constans, interpretatione vernacula exprimere non dubitavit, necessitate quadam coactus, quum sententiam aptam aliter exhibere non posset. Simul vero eius coniecturae id obstat, quod versus e solo molosso constat, licet unus apud Pindarum exstet, a tragicis tamen alienus est. Quae quum ita sint, rectius fecisse nobis videmur, quod Wellaueri textum, excepto κἀνεμοέντων servavimus, quamquam rationem, qua locum ad vs. 585 interpretatus est, minus probare possumus. In qua re adiuvamur O. Muelleri verbis in Zimmermanni diariis p. 34 haec dicentis: die erste Strophe, welche viel Schreckliches in der Welt aufzählt, um zu dem Frevelhaftesten aufzusteigen, der verbrecherischen Liebe des Weibes, scheint uns von Wellauer ganz richtig erklärt worden zu sein. Die Vorstellung des Dichters steigt von den fabelhaften Schrecknissen in der Erde, d. h. hauptsächlich in der Unterwelt, und in der Tiefe des Meeres, empor zu den geflügelten und vierfüßigen Unthieren, welche zwischen Erd' und Himmel die Lichter des Tages (πεδαίχμιοι λαμπάδες πεδάμεροι) wachsen lassen, und noch weiter aufwärts zu den vom Himmel kommenden Wirbelwinden und dergleichen Erscheinungen. — Verba πτηνά τε καὶ πεδοβάμονα non Accusativos sed Nominativos esse egregie etiam contra Wellauerum monuit Klausenius, qui recte etiam pro vulg. πεδοβάμονα κἀνεμοέντων (codd. Guelph. Ald. Rob. πεδοβάμον' ἀκ ἀνεμοέντων) Hermanni coniecturam aeque facilem atque probabilem πεδοβάμον' ἀπ' ἀνεμοέντων recepit; nam κ et π saepissime confusae sunt, καί vero hoc loco vix tolerabilis est.

In libris est καὶ παντόλμους, quod strophae versui ἀνταίων βροτοῖσι non respondet. Responsio quidem facile restituitur, si Franzium sequentes καί omittimus, et voce βλαστοῦσι eiecta, βροτοῖσι in sequentem versum transferimus, sed eiusmodi rationem non probabilem esse, iam supra monuimus. Neque multo probabilius est, quod Hermannus, Schuetzius, Bothius in strophae versu βροτοῖς dederunt; in hoc autem Hermannus e Canteri sententia παντοτόλμους, Schuetzius παναθλίους, quorum neutro metro convenit, Bothius denique ex Pauwii emendatione παντολμίας scripsit. Statuendum potius videtur, excidisse aliquam vocem, id quod saepissime factum est, et hoc loco vel propterea probabile videtur, quod παντόλμους in optimo codice Med. et apud Rob. unum versum efficit. Sed quid exciderit, haud facile est ad divinandum: verumtamen Klausenii

sententia, qui omisso *καί* vocem *ἔρωτας* iterari iubet, aliquid habet, quo commendetur, nam similes voces a similibus haud raro obscuratas esse nemo est, qui ignoret. Praeterea, quum Aeschylus pernicioso mulierum amori multum ponderis tribueret, eiusdem vocabuli repetitio satis gravis ac poetica sit, eamque Klausenius exemplis firmavit v. c. Sophocl. Aiax. 1203:

> οὔτε γλυκὺν αὐλῶν ὄτοβον
> δύσμορος οὔτ' ἐννυχίαν
> τέρψιν ἰαύειν,
> ἐρώτων, ἐρώτων δ' ἀπέπαυσεν, ὤμοι,

ubi etiam alterum *ἐρώτων* in quibusdam codicibus excidit. Adde Euripid. Hippol. 525:

> Ἔρως, Ἔρως, ὃ κατ' ὀμμάτων
> στάζεις πόθον·

et Euripid. Troad. 840:

> Ἔρως Ἔρως, ὃς τὰ Δαρ —
> δάνεια μέλαθρά ποτ' ἦλθες
> οὐρανίδαισι μέλων.

Παντόλμους ἔρωτας, similiter Sophocles apud Stobaeum T. 73, p. 51:

> Ὦ πᾶν σὺ τολμήσασα, καὶ πέρα γύναι,
> κάκιον ἄλλ' οὐκ ἔστιν, οὐδ' ἔσται ποτὲ
> γυναικός, εἴ τι πῆμα γίγνεται βροτοῖς.

De perniciosa amoris vi conferri iubet Klausenius Sophocl. Antig. 781:

> Ἔρως ἀνίκατε μάχαν,
> Ἔρως, ὃς ἐν κτήμασι πίπτεις,
> ὃς ἐν μαλακαῖς παρειαῖς
> νεάνιδος ἐννυχεύεις
> φοιτᾷς δ' ὑπερπόντιος ἔν τ' ἀγρονόμοις αὐλαῖς·

Atque hoc loco amor perniciei coniux appellatur: ea enim significatione usurpari solet *σύννομος*, confer Sophocl. O. C. vs. 340. Electr. vs. 600. Philoct. vs. 1436. — Pro *συζύγους δ' ὁμαυλίας*, quod in codicibus Med. Guelph. et Ald. est, nonnulli editores scripserunt *συζύγους θ' ὁμαυλίας* et signum interrogationis ab aliis post *βροτῶν* positum, post *ὁμαυλίας* posuerunt, quod ferri quidem posse videtur, — nam sicut *νικᾶν* a tragicis haud raro cum genitivo coniungitur (cfr. Sophocl. Aia. 1334, Euripid. Med. 315: *κρεισσόνων νικώμενοι*), ita haud dubie *παρανικᾶν* construi potuit —, sed nostro loco probari non potest. Primum enim in optimis codicibus est δ' non θ', deinde verba *συζύγους δ' ὁμαυλίας* per se nude posita non satis perspicua sunt, sed apte demum verbis *κνωδάλων τε καὶ βροτῶν* explicantur. Significant autem omnem ex vitae societate domestica consuetudinem, vincula inter parentes et liberos, inter fratres et sorores, inter maritos et uxores, quae pernicioso mulierum amore rumpi poeta dicit. Cum verbis *συζύγους ὁμαυλίας* Klausenius bene contulit Pers. vs. 534 *ἀρτιζυγία*, et Aeschyl. locum a Schol. Hom. Il. π' 542 servatum: *ὅπου γὰρ ἰσχὺς συζυγοῦσι, καὶ δίκη*. Adde Euripid. Troad. 994. Alc. vss. 324 — 352. — *Ἀπέρωτος* cum optimo codice omnes recentiores interpretes scripserunt; Guelph. vero et editores Rob. Ald.

habent ἀπ' ἔρωτος, itaque ἀπέρωτος ex Etym. M. et Hesychio Pauwius, Heathius, Schuetzius, Bothius restituerunt. Sed quum hoc multo incertioris significationis atque originis esset, vulgatam ἀπέρωτος servandam esse duximus, quod vocabulum et unde derivatum sit, facile intelligitur, et analogia similium dictionum, v. c. γάμος ἄγαμος. χάρις ἄχαρις (Aeschyl. Agam. 1525 ἄχαριν χάριν. Choeph. vs. 42 τοιάνδε χάριν ἀχάριτον ἀπότροπον· Prometheus vs. 544 ἄχαρις χάρις· Euripid. Iph. Taur. vs. 567 κακῆς γυναικὸς χάριν ἄχαριν ἀπώλετο) firmatur. — In παρανικᾶν praepositio παρά haud dubie eandem vim habet, quam in verbis παραβαίνειν, παράγειν similibusque; itaque significat h. l. vincendo rumpere, dissolvere. De amoris in bestiis vi confer Sophocl. Antig. vs. 785.

Textum strophae et antistrophae α' sic constituerim:

στρ. α'.

Πολλὰ μὲν γᾶ τρέφει δεινα δειμάτων ἄχη,
πόντιαί τ' ἀγκάλαι κνωδάλων
ἀνταίων βροτοῖσι
πλάθουσι· βλαστοῦσι καὶ πεδαίχμιοι
λαμπάδες πεδάμεροι
πτηνά τε καὶ πεδοβάμον' ἀπ' ἀνεμοέντων
αἰγίδων φράσαι κότον.

ἀντ. α'.

Ἀλλ' ὑπέρτολμον ἀνδρὸς φρόνημα τίς λέγοι
καὶ γυναικῶν φρεσὶν τλημόνων
καὶ παντόλμους
ἔρωτας ἄταισι συννόμους βροτῶν;
συζύγους δ' ὁμαυλίας
θηλυκρατὴς ἀπέρωτος ἔρως παρανικᾷ
κνωδάλων τε καὶ βροτῶν,

et ita interpretatus sum:

Multos quidem terra gignit graves timorum dolores, maritimique recessus belluis, hominibusque infestis, scatent; atque in confinio lucis ac tenebrarum faces sublime coruscantes proveniunt, et volucres et pedestria (animalia) norunt furorem ventosis turbinibus exortum. At quis dicat effrenatam viri audaciam, mulierumque animis audentium infelices amores cum calamitatibus mortalium coniunctos? Praepotens mulierum amor, reapse non amor, vinculum coniugale in bestiis et hominibus subigit.

Huius strophae et antistrophae metrum ex creticis et trochaeis mixtum est. Primus versus est dimeter creticus, cui adiunctus est dimeter trochaicus catalectus; secundus e trimetro cretico constat, cui adiungitur in tertio versu molossus cum bracchio, de quo metro disputavit Dindorf. ad Euripid. Alc. vs. 595; quartus versus est iambicus, compositus ex penthemimeri

iambica et dimetro brachycatalecto; quintus est dimeter trochaicus catalectus; versus sextus constat e pentametro dactylico; ultimus denique versus est dimeter trochaicus.

Schema ergo metricum hoc est:

–́ ⏑ –, –́ ⏑ –, –́ ⏑ – ⏑, –́ ⏑ –
–́ ⏑ – –́ ⏑ – –́ ⏑ –
– –́ –, ⏑ –́ –
– –́ ⏑ –́ –, ⏑ – ⏑ – ⏑ –
– ⏑ – ⏑, –́ ⏑ –
–́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑ –́ –
–́ ⏑ – ⏑, –́ ⏑ – ⏑.

In altera stropha dativo *ὑποπτέροις* pertinente ad vocem *φροντίσιν* usi sunt Turneb. Vict. omnesque recentiores editores ex annotatione alterius scholiastae, qui scripsit: *ὁ παιδευθεὶς οὐχ ὑποπτέροις φροντίσιν*. Optimi autem codices et editiones, sicuti Med. Guelph. Ald. Rob. et varia lectio apud Steph. nominativum praebent, quem etiam alter scholiastes haec adnotans: *ὁ μὴ κοῦφος ἀλλ' ἀληθῶς μαθεῖν θέλων*, tuetur. Neque iusta adest causa, cur a codicum scriptura recedamus, quippe cui optima sententia insit; verba *ὅστις οὐχ ὑπόπτερος δαείς* enim significant: „qui non alatus (celer) cogitationibns (mente) scit, h. e. qui nondum cogitatione celer ipse exempla (quae id, quod diximus, confirment) animo tenet, is a nobis cognoscat." Hinc simul intelligitur, bene se habere scripturam *δαείς* a codicibus exhibitam, quam Emperius in *δμαθείς*, Franzius in *δᾳ̈ίαις* (*α δάϊος*, quod saepe a tragicis usurpatum est; cfr. Euripid. Troad. vs. 1301 *μαλερὰ μέλαθρα πυρὶ κατάδρομα δαΐῳ τε λόγχᾳ)* mutaverunt. O. Muellerus denique in diariis Zimmermanni 1836. p. 35 in *δαῦσιν* mutavit sic disputans: Aber auch den Gedanken nach empfiehlt sich *δαείς* nicht sonderlich, und es fehlt offenbar ein Wort, welches die Handlung der Althaea eigentlich bezeichnet, und wovon *πυδαῆ τινα πρόνοιαν* nur als Apposition nachgeschickte weitere Ausführung ist. At tantum abest, ut viro doctissimo assentiri queamus, ut quodque adiectivum, quod ad Althaeae facinus respiciatur, fieri nullo modo posse dicamus. Nam si v. c. *δαῦσιν* legeretur, admodum languida forent verba *καταίθουσα* etc. Sed nulla omnino, ut supra monuimus, est mutandi causa, immo voce *δαείς*, quae tragicorum usu satis commendatur (cfr. Aesch. Agam. vs. 123. Sophocl. Electr. vs. 164) omissa vel immutata non satis perspicua sint verba *ὅστις οὐχ ὑπόπτερος φροντίσιν*.

In codicibus et veteribus editionibus est *κ' αἴθουσα* vel *καἴθουσα*, unde *καταίθουσα* elicuit Canterus; sine dubio recte, quum et syllaba deesset, et *καί* ferri nullo modo posset. *Δαφοινόν* Stanleius recte vertit cruentum, in notis vero male explicuit candentem, nam haec vox nisi de rebus sive ad sanguinem caedemque pertinentibus, sive sanguinis colorem prae se ferentibus usurpari non solet. Cfr. Homeri hymn. Apol. vs. 304 *ἐπεὶ πέλε πῆμα δαφοινόν*. Aeschyli Prometh. vs. 1024. Homeri Il. X, 23 *δαφοινὸν δέρμα λέοντος*. XI, 473 *δαφοινοὶ θῶες*. II, 308 *δρακὼν ἐπὶ νῶτα δαφοινός*. — *Ὑπαί*, quod omnes codices tuentur, in edit. Glasg. et a Schuetzio mutatum est in *ὑπέρ*. Sed forma *ὑπαί* pro *ὑπό* minime aliena est a poetis scenicis:

immo iidem non modo praepositionem ὑπό, ubi longa requirebatur syllaba, sed etiam praepositiones διά, παρά, μετά in fine pariter produxerunt. Hermannus ad Soph. Phil. vs. 184 iis praeterea accessendum esse dicit praepositionem propter praeceptum Apollinii de Syntaxi p. 309, 28: ὡς ἡ καταί, ὑπαί, καὶ αἱ τοιαῦται, sed cuius usus exempla, quod sciam, non reperiuntur. Saepissime vero in scenicis carminibus illam productionem invenimus, quamvis Wolfius praepositionem ὑπό productam in ὑπαί nisi ante δ, π non admittat, v. c. Hom. Il. III, 217 ὑπαὶ δὲ ἴδεσκε, X, 376 χλωρὸς ὑπαὶ δείους, XI, 417, XII, 149 ὑπαὶ δέ τε κόμπος ὀδόντων γίγνεται. Homer. hymn. Merc. 165 καὶ μητρὸς ὑπαιδείδοικεν ἐνιπάς; ante λ, ν, ρ et vocalibus vero semper praepositione ὑπό utatur, e. gr. Hom. Il. XV, 275 τῶν δ' ϑ' ὑπὸ ἰαχῆς ἐφάνη λῖς.

Pro χρυσεοδμήτοισιν, quod in codicibus exstat, Bothius ex Hermanni (Obst. erit. p. 102) coniectura scripsit χρυσεοκμήτοισι, sed in eius locum postea Hermannus ipse substituit χρυσεοδμήτοισι, et in strophico correxit πυρδαῆιν. Quorum neutrum probari potest. Nam χρυσεόδμητος similium formarum analogia firmatur, v. c. χρυσεόστολμος Aeschyl. Pers. 159, χρυσεοβόστρυχος Euripid. Phoen. 191, χρυσεόκυκλος Eurip. Phoen. 176, χρυσεότευκτος Eurip. Med. 984, nec opus est strophae mutatione, quum χρυσεόδμητος per synizesin legi possit. Reprehendendus igitur est Franzius, quod Hermanni coniecturam in textum posuit. Vocem χρυσεόδμητος Klausenius recte a verbo δέμειν (cfr. Homeri hymn. Mercur. 87. 188. Hom. Odyss. XXIII. 192. Il. VII, 337, 436) derivavit. — Equidem non dixerim cum Wellauero necessarium esse, quod Bothius ἀπροβούλως cum πνέονϑ' iunxerit, nam certum est Nisum inconsulto, h. e. sine custodia dormivisse. Si autem ἀπροβούλως ad antecedentem vocem νοσφίσασ' referretur, accipienda esset de Scyllae imprudentia, quae calamitosum sibi fore facinoris exitum non praevidisset; sed hoc longe alienum est ab Aeschyli consilio, quippe qui tantummodo Scyllae pravitatem ante oculos ponere voluerit. Πνέονϑ' in omnibus libris exstat, male ab Heathio (metri ut putat causa) in πνείονϑ' mutatum, nam locum nulla indigere emendatione egregie ex iis cognoscitur, quae Hermannus ad Soph. Antig. vs. 1132. Element. doctr. metr. p. 538. Epit. § 468 disputavit. Similiter iambus et trochaeus in Aeschyl. Sept. vs. 281, 298 sibi respondent. Quae quum ita sint, haud necessarium esse intelligitur, ut metri causa id, quod quibusdam (Hermanno ad Soph. O. C. 1451) placuit, κιγχάνει scribatur, praesertim quum κιχάνει omnes codices tueantur. Et omnino dubitari potest, num verum sit, quod Math. Gr. gr. § 240 ait, κιγχάνω ibi esse scribendum, ubi longa syllaba requiratur, nam exstant loci, Sophocl. O. C. vs 1451. Euripid. Hipp. vs. 1444. Alc. vs. 480, in quibus κιγχάνω omnium auctoritate firmatum ι longum habet, nec vero tragici poetae syllabas produxerunt, quas Homerus corripuit. Sic v. c. apud Homerum semper ἶσος, apud tragicos autem ἴσος legitur. — Μίν omnes codices habent, Blomfieldius νίν scripsit, quod recte Franzius recepit; nam post ea, quae Valcken. ad Euripid. Hipp. vs. 1253 disputavit, vix dubitari potest, quin μίν homerica, νίν tragica sit forma et tantum librariorum inscitia paucis quibusdam locis in μίν depravata. Verba autem κιχάνει δέ νιν Ἑρμῆς de morte accipienda esse interpretes fere omnes statuerunt, sed utrum ea ad Nisum an ad Scyllam pertinerent, dubitaverunt nonnulli. At re diligenter perpensa dubium esse non potest, quin de Nisi morte sermo sit: nam eo maxime, quod Nisus deciso capillo mortem

obiit, Aeschylus id, quod voluit, demonstrare potuit, a cuius consilio prorsus aliena Scyllae mortis mentio foret. Hoc bene iam scholiastes intellexit, quum scriberet: *τὸν Νῖσον, μὴ τὴν Σκύλλαν.*

Altera stropha eiusque antistropha ita nobis scribenda videtur:

στρ. β'.

Ἴστω δ', ὅστις ὑπόπτερος
φροντίσιν δαεὶς,
τὰν ἁ παιδολύμας τάλαινα Θεστιὰς μήσατο
πυρδαῆ τινα πρόνοιαν, καταίθουσα παιδὸς δαφοινὸν
δαλὸν ἥλικ', ἐπεὶ μολὼν
ματρόθεν κελάδησεν,
ξύμμετρόν τε διαὶ βίου
μοιρόκραντον ἐς ἆμαρ.

ἀντ. β'.

Ἄλλαν δεῖ τιν' ἐν λόγοις στυγεῖν
φοινίαν Σκύλλαν,
ἅτ' ἐχθρῶν ὕπαὶ φῶτ' ἀπώλεσεν φίλον, Κρητικοῖς
χρυσεοδμήτοισιν ὅρμοις πιθήσασα δώροισι Μίνω,
Νῖσον ἀθανάτας τριχὸς
νοσφίσασ' ἀπροβούλως
πνέονθ' ἁ κυνόφρων ὕπνῳ·
κιχάνει δέ νιν Ἑρμῆς.

h. e. Sciat vero, quisquis mente celer modum meminerit, quale filii perditrix misera Thestias excogitarit incendii consilium, quum cruentum titionem filii aequaevum combureret, postquam a matre editus vagiverat, eique aequalis per vitam usque ad diem fatalem fuerat. Aliam quoque narrationibus memoratam odisse fas sit, cruentam Scyllam, quae manu hostium virum carum perdidit, Creticis aureis monilibus, donis Minois adducta, quum impudens Nisum inconsulto somno indulgentem immortali crine spoliaret; verum eum Mercurius consequitur.

In hac stropha et antistropha trochaei praecipue reperiuntur. Primus versus constat ex trochaeis praemisso spondeo; secundus est, quem iure creticum catalecticum dicas et saepe adhibitum reperias; (cfr. Pers. 852: *εὖθ' ὁ γηραιός.* Pers. 860 *πάντ' ἐπεύθυνεν.* Euripid. Rhes. vs. 528. 547. Heracl. vs. 898. 907. Troad. vs. 282. 286). Tertius et quartus versus e creticis adiunctis trochaeis constant; quintus et septimus Glyconei; sextus et octavus Pherecratei sunt.

Schema hoc sit:

–́ –, –́ ⏑ –́ ⏑, –́ ⏑ –
– ⏑ –, – –,
–́ –, –́ ⏑ –, –́ ⏑ – –, –́ ⏑ –, –́ ⏑ –
–́ ⏑ – –, –́ ⏑ –, –́ ⏑ –, –́ ⏑ –, –́ ⏑ – . –
∴ ∴ –́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ –
∴ ∴ –́ ⏑ ⏑ –́ ⏑
∴ ∴ ⏓ ⏑ ⏑ –́ ⏑ –
∴ ∴ – ⏑ ⏑ –́ ⏒.

Tertiae strophae verba multis modis et corrigere et interpretari conati sunt editores. Nolumus tamen audaces Schuetzii et Bothii, quas Wellauerus affert, correctiones hoc loco iterare, praesertim quum eae ob ipsam audaciam nemini arridere possint. Silentio vero recentiorum interpretum sententiae praetermitti non possunt, qui verba aut in integrum restituere, aut interpretatione ingeniosa explanare voluerant. Ac primum quidem pro codicum scriptura ἐπεμνήσαμεν, quae metro repugnat, Heathius probabiliter correxit ἐπεμνησάμην: deinde quum ἀκαίρως plerisque offensioni esset, alii alia coniectaverunt, Schuetzius ἀκραίους, Bothius ἀκραίως, Bambergerus κεραυνῷ δέ, quarum correctionum vereor, ut ulla probanda sit. Recte enim Klausenius ἀκαίρως cum δυσφιλές coniunxisse et sic interpretatus esse videtur: „ἀκαίρως δυσφιλές quod intempestive invisum factum est, quum amor Clytaemnestrae ob mactatam filiam conversus in odium causa facta sit facinoris, quod coniugium aedibus invisum et detestabile reddidit, ἀκαίρως infauste.“ — In sequentibus desideratur verbum aliquod, a quo accusativi pendeant, quod quum scholiastes scripserit: λείπει μνήσομαι Κλυταιμνήστρας, alii interpretes aliter revocare studuerunt. Franzius ἀπεύχετον, quod in libris est, mutavit in ἀπεύχομαι et vertit:

> Nachdem ich Beispiele bitt'ren Leid's erwähnt, verwünsch' ich unzeitig noch den schnöden Eh'bund in uns'rer Königsburg —.

Non video autem, qua ratione chorus dicere possit, se intempestive illud connubium detestari, quo tantae calamitates in regiam inductae sunt. Alii vocem τίων, quae in omnibus codicibus inest, in τίω mutaverunt, sed iidem non omnes eadem ratione locum interpretantur. Wellauerus enim dicit, iam initio omissum esse verbum τίω, quod infra demum repetatur addita particula δέ, quae post parenthesin repeti soleat; itaque sententiam loci hanc esse: „postquam tam atrocia mala commemoravi, intempestive veneror connubium detestandum, mulierisque insidias viro structas armipotenti, viro hostibus ob maiestatem inviso, intempestive veneror neglectam domum etc.“ At multa huic interpretationi obstant: primum illud δέ, quod h. l. nullam parenthesin excipit; deinde vereor, ne ineptiae Aeschylo imputentur, si quis statuat chorum dixisse: „intempestive veneror,“ quum idem paulo post Clytaemnestrae facinus cum caede Lemnia aequare non dubitet. A Wellauero longe Ahrensius recessit, qui τίω δ' quidem, ut ille recepit, sed coniunctionem esse voluit et interrogationis signum post αἰχμάν posuit, neque vero illud τίω ad antecedentia rettulit, sed ad ἀκαίρως, verbum ex ἐπεμνησάμην petitum mente adiecit sic vertens: „postquam vero calamitosas aerumnas commemoravi, intempestive memorem etc. venererque igne carentem domus focum, ignavam muliebrem potentiam?“ Quae interpretatio quum ob easdem causas, quas adhuc exposuimus, tum ob alias, quas afferre longum est, ferri nequit. Multo intolerabilior est Franzii coniectura pro τίων δ' corrigentis: τί φῶ δ', h. e.

> Wie nenn' ich doch diesen opferlosen Heerd, des ohnmachtkecken Weibes Herrschaft?,

quam satis est commemorasse. Ut autem tandem patefaciam, quae mea sit de hoc sententia, equidem nihil mutandum esse censeo, sed poetam statuo flumine verborum lyrico quasi correptum, quum post ἀκαίρως δ', pluribus accusativis praemissis, verbum finitum ponere esset oblitus, parti-

cipium pro verbo finito posuisse. Cuius constructionis quamquam plura exempla in promtu non habeo, tamen unum illud, quod mihi invenire contigit, Agamem. vs. 410:

μάταν γὰρ, εὖτ' ἂν ἐσθλά τις δοκῶν ὁρᾶν,
παραλλάξασα διὰ χερῶν
βέβακεν ὄψις οὐ μεθύστερον
πτεροῖς ὀπαδοῦς' ὕπνου κελεύθοις,

ubi μάταν cum βέβακεν, εὖτ' ἂν autem cum participio δοκῶν, pro quo δοκῇ exspectaveris, iungendum esse interpretes docuerunt, sententiam meam comprobare videtur. Tum ἐπεί non postquam, sed quoniam vertendum, et aoristus de re vix exacta, quod saepe factum est, positus mihi videtur; itaque interpretandum est: quoniam recordatus sum etc. In sequentibus autem, id quod scholiastes bene sensit, tale omissum est verbum, quale est μνήσομαι. — Sed his de universa stropha disputatis, de singulis videamus. Verba τίων δ' ἀθέρμαντον ἑστίαν δόμων interpretes vario modo intellexerunt. Sunt enim, qui ea pertinere dicerent ad coniugii fidem a Clytaemnestra laesam, quae res imagine ignis in foco domestico per negligentiam aut contemtum exstincti adumbretur. Bambergerus intelligi vult focum, in quo nullus vir alienus ignem suscitet; Franzius focum, in quo non dominus ignem accendat, sed uxor sola: mulierum vero imperium choro etiam in Agamem. vs. 448 odiosum esse. Sed ad verum multo propius accessisse nobis videtur Klausenius, sic verba τίων δ' ἀθέρμαντον ἑστίαν δόμων explicans: tanta sunt mala mea, ut is, qui mihi colendus est focus, neglectus iaceat. Designat chorus sacra domestica haud rite perpetrata, quia ea, quae Aegisthus fecit, pro veris sacris haberi non possunt. Ita Aeschyl. Agam. vs. 70 dicitur

ἄπυρα ἱερά,

et focus ipse Choeph. vs. 48

ἰὼ πάνοιζυς ἑστία,

eiusque servatores Orestes et Electra vs. 253 sq. Huic foco neglecto adiectum est appositione id, cuius causa neglectus est; de qua appositione efficientis et effectae rei Klausenius ad Agamem. vs. 262 disseruit.

Quum poeta antea mala exhibuisset, rationem in antistropha profert, cur certus in iis eventus exspectandus sit, h. e. deorum supplicium. — Non video, qua de causa Wellauerus vulg. εἴκασεν retineat, praesertim quum optimi codices ᾔκασεν praebeant. Verum quidem est, ut Math. Gr. gr. § 167, 5 adnotat, non semper ει Atticos scriptores in η mutasse: nam ab εἴκω imperf. εἶκον, aor. εἶξα; ab εἴργω εἶργον formarunt. Augmentum η in verbo εἰκάζω non est, ut Blomfieldius iudicat, recentioris Atticismi, sed eadem forma est in Aeschyl. Sept. vs. 431 προσῄκασεν; Euripid. Phoen. vs. 423 τί θηρσὶν ὑμᾶς δῆτ' Ἄδραστος ᾔκασεν; Heracl. vs. 677 ᾐκάζομεν ταῦτα, optimorum codicum auctoritate firmata. Quibus locis addi possunt loci e comicis poetis scriptoribusque orationis pedestris petiti, sed satis habemus lectores ad ea ablegasse, quae disputaverunt Valcken. ad Euripid. Phoen. vs. 165. Schneiderus ad Plat. Civ. II, p. 108.

Textus tertiae strophae et antistrophae sic se habeat;

στρ. γ΄.

Ἐπεὶ δ᾽ ἐπεμνησάμην ἀμειλίχων
πόνον, ἀκαίρως δὲ δυσφιλὲς γαμή-
λευμ᾽ ἀπεύχετον δόμοις
γυναικοβούλους τε μήτιδας φρενῶν
ἐπ᾽ ἀνδρὶ δήοισιν ἐπικότῳ σέβας,
τίων δ᾽ ἀθέρμαντον ἑστίαν δόμων,
γυναικείαν ἄτολμον αἰχμάν.

ἀντ. γ΄.

Κακῶν δὲ πρεσβεύεται τὸ Λήμνιον
λόγῳ· γοᾶται δὲ δήποθεν κατά-
πτυστον· ᾔκασεν δέ τις
τὸ δεινὸν αὖ Λημνίοισι πήμασιν.
Θεοστυγήτῳ δ᾽ ἄγει
βροτῶν ἀτιμωθὲν οἴχεται γένος·
σέβει γὰρ οὔτις τὸ δυσφιλὲς θεοῖς.
τί τῶνδ᾽ οὐκ ἐνδίκως ἀγείρω;

quae sic in latinum sermonem verti:
Quoniam vero tristium laborum recordatus sum, intempestive (reminiscar) inimicum connubium, aedibus exsecrandum, structasque feminea mente insidias adversus virum armiferum, adversus virum hostibus ob maiestatem invisum, venerans focum domus neglectum, femineam ignavam hastam. Malorum atrocissimum eminet Lemnium fabulis celebratum; plangitur iam alicunde abominatum; comparaverit autem aliquis hoc malum rursus cum malis Lemniis. Inviso diis dolore genus mortalium, ignominia obrutum, perit. Nam nemo colit id, quod diis odiosum sit. Quid horum non iure colligo?

Metrum strophae et antistrophae γ΄ maximam partem e iambis constat. Versus primus et secundus compositi sunt e penthemimeri iambica et dimetro iambico brachycat. Eodem modo composuit Aeschylus in Agamem. vs. 398. 399. 415. 416. 471. 474. Choeph. vs. 401. 417. 450. 455. 456. Tertius versus est dimeter trochaicus catalectus; quartus, sextus, septimus non differunt a primo; quintus vero e dochmio praecedente iambo; octavus versus ex antispasto sequente penthemimeri iambica constat. Huic octavo versui similes inveniuntur in Choeph. vs. 343. 360. Eumenid. vs. 525. 533. Agamem. vs. 189. 202. 358. 366. 383. 384 etc.

Schema hoc sit:

⏑ –́ ⏑ – –, ⏑ –́ ⏑ – ⏑ –
⏑ –́ ⏑ – –, ⏑ –́ ⏑ – ⏑ –
–́ ⏑ – ⏑ –́ ⏑ –
⏑ –́ ⏑ –́ –, ⏑ –́ ⏑ – ⏑ –
⏑ –́ ⏑ –́ –́ ⏑ –
⏑ –́ ⏑ – –, ⏑ –́ ⏑ – ⏑ –
⏑ –́ ⏑ – –, ⏑ –́ ⏑ – ⏑ –
⏑ –́ – –, ⏑ –́ ⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏓.

Quarta stropha non minores fere difficultates praebet quam tertia. Prima verba perspicua quidem sunt, sed quid sequentibus poeta exprimere voluerit, haud facile est ad explorandum. Interpretes enim in contrarias partes abierunt. Sunt, qui Pauwio praeeunte vs. 632 οὐ, quod omnes codices exhibent, eiici velint, eiusque particulae originem inde deducendam esse statuant (v. c. O. Muellerus in Zimmermanni diariis 1836 p. 4 et Klausenius), quod ad vocis ἀθεμίστως, quae in codicibus est, marginem adscriptum fuerit οὐ, quod postea falso loco illatum sit. Quorum sententiae favere videtur, quod versus 632 cum antistrophico collatus una syllaba abundat; sed cavendum est, ne hac ratione fallamur, quia eodem iure versum antistrophicum depravatum esse statui potest, praesertim quum in eo corruptela haud exigua lateat. Si οὐ omittitur, reliquis verbis integris hanc nanciscimur sententiam: „nefas enim pedibus proculcatur, qui omnem Iovis reverentiam migrarunt.“ Sic locum intelligi voluit Klausenius, sed verba:

τὸ πᾶν Διός,
σέβας παρέκβαντες οὐ θεμιστῶς,

num appositionem verborum

τὸ μὴ θέμις γὰρ οὐ
λὰξ πέδον πατούμενον

efficere potuerint, dubitari potest. Certe constructionem admodum duram esse et similia exempla ad eam probandam desiderari vix poterit negari. Praeterea illa sententia haud optime cum antecedentibus cohaeret. Franzius igitur aliam viam est ingressus, et ut ad eiiciendas voces proclivis est, ita hoc loco γὰρ οὐ eiecit, et interpunctione post διαὶ Δίκας deleta correxit:

τὸ δ' ἄγχι πλευμόνων ξίφος
διανταίαν ὀξυπευκὲς οὐτᾷ
διαὶ δίκας τὸ μὴ θέμις
λὰξ πέδοι πατουμένας
  τὸ πὰν Διὸς
σέβας παρεκβάντας οὐ θεμιστῶς.

et vertit:

Und sieh! das Schwert, den Lungen nah,
es bohrt bald tief ein die bitt're Schärfe
durch Dike's Hand, die wider Recht
liegt in Staub getreten, wo
  der Frevelsinn
die Scheu vor Zeus' Macht mit Hohn verspottet!

in quibus τὸ μὴ θέμις adverbialiter dictum sit, idemque valeat atque οὐ θεμιστῶς. Quam audaciam uno verbo attigisse satis est: omnia enim in omnes poetas inferre poterimus, si eorum verba ex mente nostra mutaverimus. Iam vero eorum examini subiicienda est sententia, qui a codicum partibus stantes οὐ servari volunt. Inter quos Wellauerus primus retinendam esse particulam dicit, quia sententia haec sit: „namque scelus commissum non manet neglectum et inultum,“ sed vereor, ut cuiquam tale quid in verbis inesse posse persuadeat, ac probo, quae contra eum

Klausenius disputavit. Probabilior est interpretatio, quam Ahrensius proposuit: „nam quod fas non est, pedibus non proculcatur, si quis omnem Iovis venerationem migrarit,“ quamquam nondum omni ex parte vera. Si quid video, locus ita est vertendus (nam οὐ quin servandum sit, vix in dubitationem vocari nobis posse videtur): nam nefas pedibus non proculcatur, quum plane Iovis maiestatem nefarie migrent. Haec optime cum antecedentibus et sequentibus connexa sunt; nam quod antea verbis

τὸ δ' ἄγχι πλευμόνων ξίφος etc.

expressum est: Iustitiam scelera ulturam appropinquare, id verbis:

Δίκας δ' ἐρείδεται πυθμήν

paulo aliter iteratur: causa vero, cur illa ventura sit, interponitur verbis:

τὸ μὴ θέμις γὰρ οὐ etc.

Quae quum ita sint, non his verbis, sed antistrophae (vs. 638) corruptelam inesse statuendum eiusque de correctione infra videndum erit. Simul vero intelligitur, nec πέδον, quod eodem modo in Agamem. vs. 1330 usurpatum est, in πέδοι, nec παρεκβάντες in παρεκβάντος vel in παρεκβάντας mutandum esse: nam παρεκβάντες est nominativus absolutus, cuius dicendi rationis exempla sat multa collegit Geislerus de nominat. absol. (Vratisl. 1845) p. 34 sq., postremo verbo attingam, τὸ πᾶν non ad σέβας pertinere, sed adverbialiter dictum esse. Confer Aeschyl. Prometh. vs. 215. Agamem. vss. 168. 417. 1140. Choeph. vss. 328. 428. Eumenid. vs. 157. Sophocl. Electr. vs. 997.

In huius strophae antistropha Hermannus προχαλκεύει probabiliter correxit, quum scriptura codicum προσχαλκεύει et sententiam et metrum turbet. Ad sententiam cfr. Sophocl. Aiac. vs. 1034:

ἆρ' οὐκ Ἐρινὺς τοῦτ' ἐχάλκευσε ξίφος
κἀκεῖνον Ἅιδης, δημιουργὸς ἄγριος;

Horatii Od. IV, 15. 19:

Custode rerum Caesare, non furor
Civilis aut vis exiget otium,
Non ira, quae procendit enses,
Et miseras inimicat urbes.

Vs. 638 sqq. verba ad restituendum difficillima sunt; nihil enim proficit codicum scriptura (Med. διμασε-δωμάτων, Guelph. δίμασε-δωμάτων, Rob. δόμασι δωμάτων. Turn. Victor. δώμασι-δωμάτων, quae metro non satisfacit, nam una syllaba ad versum strophico aequandum requiritur. Vario igitur modo viri doctissimi mederi conati sunt. Pauwius, Bothius, Schwenckius, Klausenius δόμοισιν, Schuetzius δόμοις νέον, Hermannns δόμοις ἰδεῖν, Ahrensius δώμασιν, Franzius:

τέκνον δ' ἐπεισφέρει δόμοις
αἱμάτων παλαιτέρων
τίνειν μύσος
χρόνῳ κλυτὰ βυσσόφρων Ἐρινύς.

Blomfieldius *δόμοισι τῶν θ' αἱμάτων παλαιτέρων;* O. Muellerus *δόμοισιν ἐξ αἱμάτων;* Rob. Engerus de Aeschyliis antistrophicorum responsionibus p. 26:

τέκνον δ' ἐπεισφέρει δι' αἱμάτων
Αἱμάτων παλαιτέρων
τίνειν μύσος
Χρόνῳ κλυτὴ βυσσόφρων Ἐρινύς.

Bambergerus *δόμοις, μύσει δ' αἱμάτων,* quarum coniecturarum eae tantum huc faciunt, quae versum ita refingunt, ut is versui 632 (servato *οὐ)* respondeat, h. e. iambicum senarium brachycatalecticum efficiat, h. e. Schuetzii, Hermanni, Blomfieldii, Muelleri, Engeri correctiones. Sed tres priores ferri non possunt, nam non intelligitur, quid sibi velit *νέον,* quid *ἰδεῖν,* quid *τῶν θ';* de reliquis non ausim certo discernere, quamvis Muelleri correctio *δόμοισιν ἐξ αἱμάτων* et Hermanni posterior emendatio *δόμοισιν ἐκ δ' αἱμάτων,* quam Rob. Engerus in progr. gymn. Ostroviensis 1857, p. 15 praeclaram dicit, proprius ad Aeschyli mentem accedere mihi videatur. Wellauerus in stropha legi voluit *θέμις ἄρ' οὐ,* parum probabiliter, quum *ἄρα* fieri nullo modo possit.

Quoniam vero coniecturis loco viri doctissimi mederi conati sunt, etiam nobis coniecturam addere liceat. Quid si Aeschylus scripserit:

τέκνον δ' ἐπεισφέρει δι' αἷματ' ἐς
δῶμα· τῶν παλαιτέρων
τίνει μύσος
χρόνῳ κλυτὴ βυσσόφρων Ἐρινύς,

h. e. filium infert aedibus propter caedes. Literae *ΑΙ* propter antecedentes *ΔΙ* facile a librario negligi poterant, unde quae exstat in libris scriptura originem ducere potuit. Vocem *αἷματ'* hoc loco olim fuisse, patet etiam e scholiastae verbis: *Ἀντὶ τοῦ, ποινήν. Ἐπεισφέρει δὲ τοῖς οἴκοις τέκνον παλαιῶν αἱμάτων, ὅ ἐστι· τίκτει ὁ φόνος ἄλλον φόνον;* quamquam is potius depravato codice usus *αἱμάτων* pro *δωμάτων* legisse videtur. Eadem fere sententia emendatione nostra in locum insertur. Vers. 639 habent codices *δωμάτων,* quod quum scholiastes, cuius verba supra attulimus, vocem *αἵματα* apud Aeschylum reperisse videatur, plerique editores Cantero praeeunte in *αἱμάτων* mutare non dubitaverunt, nihil curantes, utrum re vera vox *αἵματα* in *δωμάτων,* an in vitiosa scriptura *δίμασε* lateat. Nos igitur codicum scripturam servavimus, nisi quod pro *δωμάτων* lenissima mutatione *δῶμα τῶν* scripsimus, et post *δῶμα* interpunximus, ut verba *τῶν παλαιτέρων* cum *μύσος* coniungantur.

Ultimum igitur stropharum par huius carminis ita nobis scribendum videtur:

στρ. δ',

Τὸ δ' ἄγχι πνευμόνων ξίφος
διανταίαν ὀξυπευκὲς οὐτᾷ
διαὶ Δίκας· τὸ μὴ θέμις γὰρ οὐ
λὰξ πέδον πατούμενον
τὸ πᾶν Διὸς
σέβας παρεκβάντες οὐ θεμιστῶς.

ἀντ. δ'.

Δίκας δ' ἐρείδεται πυθμήν·
προχαλκεύει δ' Αἶσα φασγανουργός·
τέκνον δ' ἐπεισφέρει δι' αἵματ' ἐς
δῶμα· τῶν παλαιτέρων
τίνει μύσος
χρόνῳ κλυτὴ βυσσόφρων Ἐρινύς.

h. e. Gladius ad pulmones adactus adverso vulnere acerbus vulnerat per Iustitiam; nam nefas pedibus non proculcatur, quum plane Iovis maiestatem nefarie migrent. Verum Iustitiae radix firmatur; procudit autem Fatum, gladiorum fabricator; filium infert aedibus propter caedes; maiorum autem scelus punit tandem clara et profunda Erinnys.

Huius strophae et antistrophae versus e iambis et trochaeis mixti sunt. Versus primus constat e dimetro iambico; secundus ex antispasto sequente dimetro trochaico brachycat (cfr. Hermanni Elem. doctr. metr. p. 236). Tertius versus est iambicus, quartus dimeter trochaicus; quintum efficit monometer iambicus; sextus denique constat e duabus penthem. iambicis. Ultimo similes versus legimus in Agamem. vs. 185. 186. 198. 199. 214. 215. 223. Choeph. vs. 416. 417. 428. 429. 433. 434. Eumenid. vs. 521. 522. 529. 530 et al.

Schema huius strophae et antistrophae δ' sic sit:


⏑ –́ ⏑ –, ⏑ –́ ⏑ –
⏑ –́ – –, –́ ⏑ – ⏑ – –
⏑ –́ ⏑ –, ⏑ –́ ⏑ – ⏑ –
– ⏑ – ⏑ – ⏑ –
⏑ – ⏑ –
⏑ – ⏑ – –, ⏑ – ⏑ – ⏓.



Schulnachrichten

des Königlichen Gymnasiums zu Ostrowo

von Michaelis 1870 bis Michaelis 1871.



WIADOMOŚCI SZKÓLNE

Królewskiego Gimnazyum Ostrowskiego

od św. Michała 1870 do św. Michała 1871.

I. Lehrverfassung.

Die Überfüllung der Secunda und Unter-Tertia machte am Beginn des Schuljahres eine Theilung dieser beiden Klassen in zwei Coetus für alle Unterrichtsgegenstände mit Ausnahme der Religionslehre resp. des Hebräischen nothwendig. Dagegen konnte die Ober-Tertia, welche im vorigen Schuljahr in zwei besondere Abtheilungen hatte zerlegt werden müssen, wieder zusammengezogen werden. Die drei unteren Klassen sind konstant für die Schüler deutscher und polnischer Abstammung in je zwei Coetus getheilt. Eine Vorschule (Septima) ist mit der Anstalt gegenwärtig noch nicht verbunden.

Demnach zählt das Gymnasium 7 aufsteigende Klassen mit 12 getrennten Coetus, nämlich: Prima, Secunda A u. B, Ober-Tertia, Unter-Tertia A u. B, Quarta A u. B. Quinta A u. B, Sexta A u. B.

Im polnischen Coetus der Quarta (IV A) wurden an Stelle des Corn. Nepos die „Materialien zum Übersetzen aus dem Lateinischen in's Deutsche für die Quarta höherer Lehranstalten von Dr. J. E. Ellendt, herausg. von Dr. M. Seyffert" eingeführt.

Da sonst die Lehrverfassung und im Speciellen die Abgrenzung der Unterrichtspensa eine wesentliche Änderung in diesem Schuljahr nicht erfahren haben: so behalten in dieser Beziehung die vorjährigen Mittheilungen ihre Geltung. Hier haben daher mit Hinweis auf die in den IV Abschnitt dieser Nachrichten aufgenommenen Vertheilungspläne der Unterrichtsgegenstände nur die Lectionstabelle und die Angabe der Lectüre im Lateinischen, Griechischen, Französischen und Hebräischen sowie der in Prima und für die Abiturienten zu den schriftlichen Ausarbeitungen gewählten Aufgaben Aufnahme gefunden.

I. Rozkład nauk.

Z powodu zbyt wielkiej liczby uczniów w kl. IIgiej i IIIciej niższej zaraz z początkiem roku szkólnego okazała się potrzeba rozdzielenia tychże klas we wszystkich przedmiotach prócz religii i jęz. hebraj. na dwa równoległe oddziały. Za to III wyższą, która w zeszłym roku rozdzieloną była, połączono znów w jeden oddział. Trzy niższe klasy rozdzielone są stale na dwa oddziały dla uczniów niemieckiej i polskiej narodowości. Klasy przygotowawczej (Septymy) Zakład dotychczas jeszcze nie posiada.

Gimnazyum liczy zatem w dwónastu oddziałach siedm klas i to: Prymę, Sekundę A i B, Tercyą wyższą, Tercyą niższą A i B, Kwartę A i B, Kwintę A i B, Sekstę A i B.

W polskim oddziale Kwarty (IV A) zaprowadzono w miejsce Corn. Nep. „Materialien zum Übersetzen aus dem Lateinischen ins Deutsche für die Quarta höherer Lehranstalten von Dr. J. E. Ellendt, herausgegeben von Dr. M. Seyffert."

Ponieważ tak ogólny plan nauk, jak i rozkład tychże na pojedyńcze klasy żadnej prawie zmianie w tym roku nie uległ, odsyła się czytającego do wiadomości szkólnych w zeszłym roku podanych. Sprawozdanie niniejsze obejmuje przeto, prócz podziału lekcyi pomiędzy nauczycieli (zob. Rozdz. IV), plan nauk ogólny, wykaz tego, co w języku łacińskim, greckim, francuzkim i hebrajskim czytano i zadania do wypracowań dla klasy Iszej i abituryentów.

Lektions-Tabelle. Plan nauk ogólny.

Unterrichtsgegenstände. Przedmioty nauki.	I	IIA	IIB	O.III	U.IIIA	U.IIIB	IVA	IVB	VA	VB	VIA	VIB	Summa
Religion Religia . . kath. kat.	2	2		2	2		2		3		3		16
Religion Religia . . evangl. prot		2			2		—	2	—	3	—	3	12
Deutsch Język niemiecki . . .	3	2	2	3	3	3	4	2	5	2	6	2	37
Polnisch „ polski , . . .	2	2	2	2	2	2	2	4	2	5	2	6	33
Latein „ łaciński . . .	8	10	10	10	10	10	9	9	9	9	10	10	114
Griechisch „ grecki	6	6	6	6	6	6	4	4	—	—	—	—	44
Französisch „ francuzki . . .	2	2	2	2	2	2	2	2	2	2	—	—	20
Hebräisch „ hebrajski . . .	2	2		—	—	—	—	—	—	—	—	—	4
Geschichte u. Geographie. Histor. i geogr.	3	3	3	3	3	3	3	3	2	2	2	2	32
Mathematik resp. Rechnen. Matem. i Rach.	4	4	4	3	3	3	3	3	3	3	3	3	39
Physik Fizyka	2	1	1	—	—	—	—	—	—	—	—	—	4
Naturkunde Histor. natural. . . .	—	—	—	1	1	1	2	2	—	—	—	—	7
Zeichnen Rysunki					1		1	1	2		2		7
Schreiben Kaligrafia	—	—	—	—	—	—	—	—	2	2	2	2	8
Gesang Śpiewy						2			2		2		6
Gesammtbetrag der wöchentl. Unterrichtsstunden. Summa ogólna lekcyi tygodniowych													383

